

rentia recepisse noveritis , tenorem superius annotatum continentes , *Eugenius &c.* ut supra apparet . Post quarum quidem literarum Apostolicarum præsentationem & acceptionem , per dictum D. presbyterum Antonium fulmis debita cum instantia requisihi , quatenus ad ipsarum literarum Apostolicarum debitam exsecutionem procedere curaremus .

Nos igitur Nicolaus plebanus & exsecutor prædictus , volentes mandatum Apostolicum nobis in hac parte commissum reverenter & diligenter , ut teneamus , exequi , auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa de idoneitate præfati D. presbyteri Antonii , ac aliis in dictis literis Apostolicis contentis , juxta ipsarum literarum Apostolicarum continentiam examinavimus diligenter .

Et quia per diligentem informationem per nos habitam & receptam , invenimus dictum presb. Antonium idoneum & sufficientem ac contenta in præfatis literis Apostolicis , eadem auctoritate Apostolica præfatum presb. Antonium pronunciamus & declaramus habilem & idoneum .

Quapropter tibi presbytero Antonio coram nobis flexis genibus existenti ; postquam ipse præfati D. N. Papæ ac Rom. Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ in nostris manibus , juxta formam Apostolicarum literarum nobis etiam exhibitarum juramentum præstítit , plebanatum prædictum plebis S. Cassiani de Venetiis Diœc. suprascriptæ , cui cura imminet animarum , ad quem consuevit quis per electionem assumi , cujusque fructus , redditus & proventus sexdecim florenorum auri de Camera , secundum communem existimationem , valorem annum , ut ipse Antonius afferit , non excedunt , quem